

ueniret. Idem volebat suis discipulis ostendere Matth. V, nisi abundauerit „iustitia vestra“<sup>108</sup> etc.

Secundum exemplum: Circumstantia haec, non habere donum ad matrimonium, facit, ut seruare virginitatem et continentiam sit opus necessarium in 5 sexto decalogi praecepto.<sup>109</sup> „Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem“<sup>110</sup> etc., talis non moechatur. Alterutrum est necessarium ex sexto praecepto, scilicet vel in matrimonio caste viuere vel extra matrimonium continenter. Ideo nunc hoc nunc illud necesse est fieri iuxta circumstantiam praenominatam. Ergo virginitas et continentia iuxta hanc circumstantiam sub lege sunt, non supra legem. Sed extra circumstantiam verum est, quod Paulus inquit: „De virginibus praeceptum Dei non habeo“,<sup>111</sup> scilicet quod ad virginitatem adigeretur is, qui donum ad matrimonium habet.

Tertium exemplum: Lusus Dauidis ante arcam fuit ceremonia quaedam et signum internae gratitudinis erga Deum.<sup>112</sup> Gratitudo autem fuit opus necessarium in secundo praecepto.<sup>113</sup> Quare nullo iure fuit Dauid a Michol deritus, quia necessariae gratitudinis et glorificationis Dei opus et officium debito tempore et debito loco impellente fide p[re]-[104:]stitit, ut textus habet.<sup>114</sup> Igitur non fuit opus supererogationis. Imo si talia opera sunt censenda supererogationis opera, reperientur aliquot miriades talium operum in scriptura. 20 Sed cum nullum sit opus in tota sacra scriptura, quod non vel simpliciter et praeceps vel in casu vel iuxta circumstantiam ad aliquod decalogi praeceptum iure referatur, non patitur scriptura vel minimum illorum operum vocari debere opus supererogationis.

Quartum exemplum: Nec Paulus supra praeceptum liberalitatis mercedem remisit in certo casu.<sup>115</sup> Circumstantiae enim Corinthiorum et pseudapostolorum reddiderunt illud opus ipsi Paulo necessarium, quod alioqui fuisse liberum. Decuitne Paulum potius remittere mercedem quam si cum scandalo et euangelii impedimento mercedem accepisset? Porro locus Psalmi: „Voluntaria oris mei“<sup>116</sup> tortus est ad opinionem de operibus supererogationis. „Voluntaria oris mei“, inquit propheta, id est, officia legis tuae mihi mandata, quae sponte facio, fac ut placeant tibi, tametsi sum peccator. Sic paulo post: „Inclinabo cor meum ad facienda statuta tua perpetuo et in aeternum.“<sup>117</sup> Item Psalm. XI: „Populus spontaneus aderit tibi“<sup>118</sup> etc. Item: „Voluntarie sacrifici-

<sup>108</sup> Mt 5,20.

<sup>109</sup> Vgl. Augsburger Interim VII, 57; Augsburger Interim (Ulhart), C 2r. Vgl. Ex 20,14; Dtn 5,18.

<sup>110</sup> I Kor 7,37.

<sup>111</sup> I Kor 7,25.

<sup>112</sup> Vgl. Augsburger Interim VII, 57; Augsburger Interim (Ulhart), C 2r. Vgl. II Sam 6,5.

<sup>113</sup> Vgl. Ex 20,7; Dtn 5,11.

<sup>114</sup> Vgl. II Sam 6,20.

<sup>115</sup> Vgl. Augsburger Interim VII, 57; Augsburger Interim (Ulhart), C 2r. Vgl. I Kor 9,11f.

<sup>116</sup> Ps 119,108. Vgl. Augsburger Interim VII, 57; Augsburger Interim (Ulhart), C 2r.

<sup>117</sup> Ps 119,112.

<sup>118</sup> Ps 18,45 [Vulgata].